













BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS



GH

ORATIO
DE AFFECTIBVS IN CELEBERRIMA VVITEBERGENSIVM
Academia scripta & dedicata

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO Domino Iohanni Seniori, Hæredi Norwegiæ, Duci Slefwicensi, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmariæ, Comiti in Oldenburgo & Delmenhorst, &c.

Autore

M. GEORGIO SCHOMAKER HATHERSLEBIO.




VVITEBERGÆ,
Excudebant Clemens Schleich & Antonius Schöne.

M. D. LXXV.

EPIGRAMMA AVGVSTI ERICI DRESDENSIS ad Autorem.

DVm fert militiæ, tellus Holsatica, laudes,
Magnanimosque viros, belligerosq; Duces:
Ne quoque & hæc careat virtutis laude togatæ,
Sitque sacer Marti iunctus Apollo truci:
Tu grauis eloquio, Musarum docte, Georgi
Cultor & ingenua nobilis arte, facis:
Perge agedum mentem doctas efferre per artes,
Et patriæ laudes accumulare tuæ.





ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOHANNI

Seniori, Hæredi Norwegiæ, Duci Schleswicensi, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmariæ, Comiti in Oldenburgo & Delmenhorst, Domino suo clementissimo,

S. D. P.



REGORIVS NYSSEnus Antistes Basilij cognomento Magni frater, eruditè sanè & probabiliter ἐν τῇ βίβλῳ, *vt vocant,* θαυμαστῇ περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου *de perturbationum origine disputat, maximèque in eo laborare videtur, vt probet, animi perturbationes, siue, vt ipse ait,* ἄλογα πάθη *humanæ naturæ non ab initio insita fuisse, sed posteaquam lapsus homo & pecorum instar* κτηνώδης *factus brutorum more propagari ceperit, in naturam etiam humanam illas animi perturbationes vni-*

uerſas et ſingulas ex origine hac promanaſſe. Non enim fas eſſe putat dicere, id, quod homo varijs affectuum generibus ſit obnoxius, ad naturam humanam tanquam primam perturbationum, quibus afficimur, originē eſſe referendum, cum ea ad ipſius Dei ſimulachrū τὸ θεῖον εἶδος *ſit conformata: verùm ita affici, id, vt et cætera nonnulla poſt amiſſum, in quo homo erat, dignitatis ſtatum, commune nobis cum brutis eſſe cepit. In hoc autem nos maximè à brutis differre videmur, quod illa ſemper vno, eodemq́; modo afficiantur, & ad quod ſua natura maximè feruntur, id ſemper expetant: nos verò, prout ratio inferiores appetitus reprimit, vel ab ijſdem ſuperata frenos laxat, nunc maiores, nunc minores ſentiamus perturbationes. Sæpè etiam accidit, vt in homine* ἡ διανοητικὴ ἐνέργεια *eò pertrahatur, vt rationem, ad ea, quæ animi motus cupiunt, expedienda,*

enda,

enda, tanquam ministram compellat. Quod cum sit, tunc vniuersæ naturæ quasi alia impressa figura, optimæ formæ in imaginem brutam fit commutatio. Ex quo fonte ratione suo ministerio animi motus, quando primùm exoriuntur, ita excolente affectus viciosos in humana natura in tantum auctos videmus, vt tot et tam variæ voluptatum species in animalibus ratione carentibus nunquam inueniantur, quot illorum, qui fœdam sectantur voluptatē, scelerata libidine excogitatas esse, non absq; magna piorum offensione, quotidie experimur. Quando enim ratio, vt dictum est, perturbationibus istis operam suam locat, id efficit vt rerū absurdarum τῶν ἀτόπων ingens ac multiplex exoriatur copia. Admonet itaq; Nyssenus, ne perturbationibus istis quas ἄλογα πάθη nominat, brutorum more indulgentes, frenos illis laxemus: sed vt rationis imperio eas-

 dem

dem cohibere ac reprimere omni animi contentione studeamus. Nisi enim ratio aureo suo freno moderetur has animi perturbationes, vniuersæ & singulæ viciorum origo existunt: sin in illas imperium obtineat ratio, singulæ virtutis formam induunt. Vt igitur (cum, secundum receptam saniorum Philosophorum sententiam, virtus in medio consistere debeat) maxima virtus est, si vehementes illos motus, quibus sæpe afficimur, rationis imperio reprimamus: sic perturbationibus indulgere, rationemq́; illis tanquam ministram addere, maximum esse vicium, nemo est, qui dubitet. Hinc est quod Lactantius lib. 6. cap. 15. diuinarũ Institut: dicit, Deum, cum primum hominem fingeret, mirabili prouidentia ingenerasse ei prius istas animi commotiones, vt posset capere virtutem, sicut terra culturam: & posuisse materiam viciorum in affectibus, virtutis in

vitijs.

vitijs. Nisi enim humanæ naturæ additi essent affectus tanquam stimuli ad quoduis perpetrandum incitantes, nec vitia esse possent: Et si vitia tollerentur, nec virtuti locus vllus esset. Mirari igitur meritò quis potest, quod Stoici homines aliàs, vt videri volunt, prudentes, cum affectus tanquam vitia ex homine tollunt, se virtutem etiam, cui soli locum faciũt, tollere non intelligant. Cum enim virtus sit haud exigua, libidinem corporis cohibere, is hac virtute careat necesse est, qui libidinem, quam temperet, non habet, vt eruditè Lactantius disputat. Cum itaq; ex hac affectuum doctrina quasi ex fonte scaturiat copiosa illa de virtutibus & vitijs disputatio, quæ in hac vita omnium maximè necessaria meritò cẽsetur, accurata consideratione opus esse iudico, qua tota illa de affectibus doctrina, quantum in hac naturæ imbecillitate fieri potest, penitus

 cognosca-

cognoscatur. Quapropter & ego nuper, Illustriss. Princeps, cum mihi pro styli exercitio aliquid scribendum esset, hanc inprimis de affectibus delegi materiam, quòd huius doctrinæ cognitionem & in vita communi maximè necessariam esse: & mihi, qui ad Iuris studium de parentum meorum consilio animum meum appuli, maximè vtilem fore intelligerem. Quicquid autem à me hac in parte præstitum est, Princeps Illustriss., id C. V., sub cuius tutela & patrocinio in hanc lucem editus, educatus ac prima artium edoctus sum fundamenta, tanquam studiorum meorum primitias offerre volui, cum vt aliquam erga C. V. animi mei gratitudinem declararem, quòd à C. V. parentes meos suos subditos, totamq; nostram familiam singulari clementia foueri sciam: tum quòd C. V. illorum, qui ditioni suæ sunt subiecti, profectu maximè delectari non obscurè constet.

Cuius

Cuius rei argumentum eſt, quod C. V. ſubditorum ſuorum aliquot, quos in illuſtri ſua ſchola Bordesholmiana per Clariß. atq; doctiß. virum D. Magiſtrum Simonem Brandt primis artium fundamentis informari curauit, tanquam in lucem eductos paßim in Academijs amplis alit & ſuſtentat ſtipendijs. Habet in Aula ſua C. V. Viros eruditione ſanè & prudentia præſtantiß. quos hoc pietatis officium in C. V. indefeſſo ſtudio incendere atq; augere non eſt dubium. Præ cæteris verò non obſcurum eſt, quantum emolumenti præſtent C. V. tres illi clariß. Viri, D. Hieronymus Oelegard I. V. Doct. C. V. Cancellarius digniſsimus, D. Georgius Bauarus C. V. à ſecretis & D. Matthias Typotius artis Medicæ Doct. C. V. à cura corporis, quos omnes & ſingulos eruditio, prudentia ac ſingularis morū grauitas commendant. Inter

quos duorum illorum, qui, dum C. V. apud Illustriß. Sax. Electorem commoraretur., C. V. præstò erant, laudes ab ijs, cum quibus familiariter conuersati sunt, quotidie adhuc prædicari audio. Quod autem superest à C. V. cum ea, qua maximè possum, animi submißione peto, vt hoc munus leuidense clementer accipiat, meq́; senio confectos parentes, totamq́; nostram familiam, ea, quam hactenus semper experti sumus, clementia amplectatur. Interea pro felici noui anni auspicio oro omnipotentem Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, vt Illustriß. C. V. Ecclesijs & Rebuspub. ad nominis sui gloriam & communem subditorum vtilitatem diu saluam, incolumem & succeßibus ac gloria florentem seruet. Benè & feliciter valeat Illustriß. C. V. Datæ VVitebergæ Calend. Ianuarij, inchoantibus annum à

salu-

6

salutifero virginis partu 1575. quo die ante annos 16. Christianus Daniæ III. & Noruuegiæ rex Illustriß. C. V. frater in pia confeßione & inuocatione filij Dei placidè obijt, ætatis suæ 56. climactere 8. ão 1559.

Illustriß. C V.

subiectißimus

M. Georgius Schomaker
Hathershebius.

DE AFFECTIBVS.



OGITANTI MIHI sæpenumero & memoria repetenti mirandam illam & occultam, qua cerebrum & cor sese mutuò afficiunt, sympathiam (quorum hoc affectuum sedem & originem, illud verò omnium animalium actionum fontem esse, nemini in Philosophorum scholis rectè instituto dubium est) pulchrrimũ sanè studium & liberali ingenio dignißimum videtur, vel procul, quantũ in hac naturæ deprauatione & mentis caligine fieri potest, mirandas illas animæ actiones intueri, quibus ex rebus oriantur & in corde generentur affectus. Hi enim non sunt motus, qui casu excitati subitò euanescant, vt falsò multi commenti sunt, verùm generi humano, quod ad ipsius Dei rerum omnium conditoris & conseruatoris similitudinem conditum est, in prima creatione inditi, vt de summi Archetypi erga homines propensa voluntate, qui verè paterno amore

amore in nos creaturam suam flagrat, testarentur. Etiamsi autem post tristem primorum parentum lapsum, qui omnis generis calamitates & miserias in hunc mundum introduxit, hoc etiam malum humanæ naturæ accesserit, vt hi animi motus non modo non ordinati, verùm vniuersi & singuli à brutis orti διὰ τῆς πονηρίας τοῦ νοῦ χρήσεως (vt loquitur Gregorius Nyssenus) vitiorum etiam origo extitisse nunc videantur: tamensi τῶν κινημάτων ratio in sese recipiat imperium (vt idem Nyssenus) ac indomito Pegaso aureum frenum Bellerophonti à Pallade traditum iniiciatur: hi animi motus singuli virtutum formam induunt. Quare omnia nostra studia, omnemq; operam, curam & industriam, cogitationem, mentem deniq; omnem in hoc figenda & locanda existimo, vt has animi perturbationes cohibeamus, ne metas illas, in quibus appetitiones & affectus consistere debere ratio ostendit, excedamus. De his igitur viri clariß. & omni doctrinarum genere excultißimi, quorum conspectus mihi est longè iucundißimus, me Philosophiæ tyronem, non tam more vsitato

vſitato dicentem, quam balbutientem, vt benignè audiatis, ſumma qua poſſum reverentia oro & obteſtor. Quamuis autem non inficier, ingenij mei vires longè minores eſſe, quã vt vobis, qui exquiſitis tantũ et excultis delectamini, vel in minimis ſatisfacere poßim: fretus tamẽ ſingulari veſtra q̃ ſemper expertus ſum, humanitate, iudicio me veſtro æquißimo ſubijcere non dubitaui. Ne autem humili meo & abiecto dicendi genere auribus veſtris obſtrepere videar, ita mihi temperabo, vt orationis tædiũ breuitate vobis eximam. Quod ſi veniam mihi à vobis tribui, concediq́ſ ſentiam, id efficiam, vt non modò non, ſecundum falſam Stoicorum opinionem, è natura tollendos eſſe affectus, verùm etiam nihil magis homini conuenire, quam res bonas proſequi, malas verò auerſari ſtatuatis. Quis eſt tam vecors aut ferreus, niſi prorſus hominis exuerit naturam, qui, cum mirandam illam, quam nulla mens cogitatione aſſequi poteſt, humani corporis aſpexerit fabricationem, non conſideratione & admiratione immenſæ ſapientiæ Architecti ſtupeſcat, qui tam appoſitè, tam

conue-

conuenienter, deniq; tam perfectè, vt nihil supra & amplius desiderari poßit, omnia effecit? Nullius est flumen ingenij tantum, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tantaq; copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare arcanam illam Dei Opt: Max: sapientiam poßit, quæ in corpore humano elucet. Nam cum summus omnium rerum conditor & conseruator, hominem, quem ad sui imaginem creauerat, vt ab ipso in æternũ celebraretur, non immobilem, seu statuæ omnis motus & sensus expertis similem esse vellet, mira quadam arte & sapientia cerebro vtramq; vim, sentiendi & mouendi, reliquas etiam potentias omnes indidit, quas vna rationalis anima, qua sola homo brutis præstat, sub se complectitur. Sensitiuæ verò potentiæ duplicem natura addidit vim: vnã, quæ obiectorum sensibilium species apprehenderet & perciperet siue absentes siue præsentes: alteram verò qua corpus animatum, secundum perceptas per sensus exteriores & interiores noticias, vel loco moueretur externè, vel spiritu & pulsu internè. Hanc vim propterea quod vel ad pro-

sequendum

ſequendum vel auerſandum ſecundum opinionem boni, maliue, ſenſu percepta & cognita aliquem impellat, Appetitiuam vocauerunt Philoſophi. Quemadmodum autem prior illa ſenſitiuæ vis, etiamſi reuera vna tantum eſt, quinq; tamen ſenſus exteriores, tres verò ſub ſe continet interiores: ita etiam huius appetitiuæ, propterea quod ſeſe in tres actus diffundat, tres gradus Phyſici conſtituerunt. Naturalem ſcilicet appetitum, ſenſitiuum & voluntarium, ſiue, vt alio nomine vocant, intellectiuum. Etſi autem non ignoro, vulgarem hanc appetitionum partitionem quoſdam, qui omnia ad viuum reſecant, cauillari, quod naturalis appetitus, qui principaliter ex vegetatiua potētia oritur, & organa ſua habet membra nutritioni ſeruientia, neq; ſenſum, neq; cognitionem ſequatur: tamen quoniam video illam vſitatam eſſe eruditis, & præceptoribus meis, à quorum doctrina ne latum vnguem recedere nec volo nec debeo, probari, eam etiam retinere non dubito, vt rectè naturales illæ appetitiones, ab his, quæ propriè ſenſum & cognitionem ſequuntur, ſe-

iungi poßint. Posthabito itaq; hoc primo appetitionum gradu, partiamur appetitum sensitiuum in eum, qui fit per contactum, nec cogitatione mutari potest: & in alterum, qui sine vllo sensu tactus solam sequitur cogitationem. Tactum sequentes hoc modo fiunt affectiones: Organum tactus, quod non vnum est, & simplex, sed cúm ex primis, siue extremis qualitatibus, tùm etiam ex illis, quæ ποιότητες παθητικαὶ ab Aristotele vocantur, inter se conuenienter tēperatis multipliciter compositū, à sui similibus suauiter afficitur: verùm à contrarijs, quæ iustam & membro congruentem mediocritatem excedunt, dolorem concipit. Duæ igitur hæ affectiones, dolor nimirum & delectatio, ad hunc gradum appetitionum sensuum, qui fit per cōtactum, tantùm referuntur. Est igitur dolor, (vt D. Peucerus definit) affectio præter naturam, quæ ex perceptione obiecti lædentis oboritur: Delectatio verò in organo sensus est affectio secundum naturam, quæ sensus recreationem & refectionem ab obiecto conueniente consequitur. Alij verò sunt appetitus, qui solam sequentes cogitatio-

nem

nem plurimùm ab his differunt. Qui enim sine contactu fiunt, sola præcedente cogitatione sedem suam habent in corde, & voluntatis imperio (vt ex sequentibus patebit) regi possunt: tactum verò sequentes tunc tantùm excitantur, cum nerui afficiuntur obiecto aliquo externo siue conueniente, siue lædente, nec vllo modo cogitatio mutare eos potest. Hi itaque propterea, quod ad sensus tactus vel suauem affectionem vel læsionem in neruis oboriantur & existant: illi verò, quòd sensibus interioribus coniuncti, ad sensuum moueantur iudicium, Sensitiui appetitus nominantur. Est autem & alius appetitus, quem voluntarium vsitatè vocamus, siue, quod idem est, intellectiuum, quod intellectui coniunctus, sicut sensitiuus sensui, ita ad eius sequatur iudicium, vt, quæ intellectus iudicat bona, amet & prosequatur, quæ verò mala, auersetur & fugiat. Quantò verò intellectus præstantior est sensu, cum hic illi subseruiat & subministret: tantò etiam appetitus Intellectiuus superior est sensitiuo, siquidem sensitiuæ appetitiones per motiuam nihil efficere

 pos-

possunt, nisi assentiatur voluntas, vel sponte, vel coacta, vel violenter oppressa. Has igitur appetitiones, quæ sub secundo & tertio gradu comprehenduntur propriè vocamus affectus, seiunctis tamen ab his, illis affectionibus: delectatione videlicet & dolore, quas supra ad appetitiones sensitiuas tactum comitantes retulimus. Nunc itaq; inuenta affectuum sede, corde aut voluntate videlicet, quid sit, de quo est disputatio, videamus. Affectus ergò (vt D. Præceptor sanctæ recordationis, definit) est motus in corde aut voluntate sequens cognitionem, quo prosequimur, aut fugimus rem oblatam, & quemcunq; alium affectum comitatur ad extremum in corde Lætitia vel Tristicia. Hanc affectuum definitionem eruditè à Præceptore nostro constitutam esse veritas fateri vniuersos cogit, qui aliquem in Philosophia progressum fecerunt. Totam enim de affectibus disputationem, si propius aspiciatur, in se continet quam breuissimè. Nos igitur, vt eò melius explicari hæc doctrina possit, singulas eius partes ordine considerabimus. Statim autem in principio affirmat hæc de-

finitio

finitio, affectuum sedem esse siue Voluntatem, siue Cor, de qua etsi variè disputant Philosophi quidam & Poëtæ, asserentes eam esse non in corde tantùm, sed & in Epate & in alijs quibusdam corporis partibus, vt ex Theocriti & aliorum etiam Poëtarum versibus constat: tamen cum id falsum ipsa ratio coarguat, relinquamus Poëtis illa sua figmenta, & ludant illi sanè more suo poëtico, nos verò secundum receptam saniorum Philosophorum sententiam, affectus verè esse motus in corde & voluntate firmiter statuamus. Geminos autem esse cordis motus quotidiana docemur experientia: Pulsus videlicet & affectus. Nam cum aërem per arteriam venosam refrigerationi cordis idoneum ex pulmone, vbi præparatus prius est: ac sanguinem per venam cauam ab Epate transmissum accipit, dilatat atque expandit sinus suos: Cum verò aërem nimis calidum ac fuliginosos halitus expellit, ac spiritus illos lucidos, qui suo calore omnia membra fouent, omnesque actiones in homine adiuuant, in totum corpus effundit, eosdem coarctat atque constringit. Longè autem alia

ratio est affectuũ, quibus nunquam feritur cor, nisi prius motum obiecti alicuius cognitione. Est autem tota hæc actio, qua perficiuntur affectus, consideratione dignissima, nec oratione satis exponi potest. Quantum verò humana industria cogitando assequi potest, hoc modo fieri affectus docent illi, qui arcana naturæ maiori cura & diligentia scrutantur. Cerebrum vbi vel per sensus exteriores, vel ex phantasmatis internis obiecti alicuius concepit noticiam, spiritu suo mira quadam vi & sympathia rei conceptæ prius imbuto imagine afficit cor: quod sic ictum ac pulsatum pro ratione diuersarum opinionum, quæ de obiectis in cerebro conceptæ sunt, ope fibrarum suarum diuersa ciet affectuum genera: si vtile ac conueniens iudicatum fuerit obiectum, dilatans atq; expandens se effundit spiritus, quibus quasi amplectitur monstratum obiectum: sin noxium atq; inconueniens, constringens atq; coarctans sese refugiente simul sanguine & spiritibus intrò tanquam ad arcem & centrum, obiectum tanquam ingratum auersatur & refugit: deinde cor vi sui spiritus eam, quã

genu-

genuit affectionem, cerebro viciſsim defert atq; nunciat: & in eo mouet imaginationes de illis rebus, quas auerſatur vel deſiderat: hæc mens poſtquam cognouit, requæſita & multùm deliberata, cum voluntate ea communicat, & cum illa conſultat, an cordis affectionibus obſequi, an verò easdem cohibere conducat nec ne: βούλησις aſſentiens incitat ſpiritus, vt per locomotiuam cordis appetitiones, præeunte tamen mente tanquam duce, perficiat: refragans verò voluntas eaſdem (dum κινητικὸν καθ' ὁρμὴν reprimit) cordis appetitiones coërcet. Nonnunquam autem inferiores illæ appetitiones adeò ſunt vehementes & incitatæ, vt detruſa à poteſtate locomotricis voluntate, eam quaſi captiuam, ad quoduis iuxta proprios affectus perficiendum, ſecum rapiant. Quod cum ſit, verè exÿſſe è poteſtate illi dicuntur, qui deturbata mente, cui regnum totius animi à natura tributū eſt, & voluntate ſic ſe ab inordinatis illis appetitionibus ſuperari paſsi ſunt. Hinc exiſtere ſolent cædes, ſtupra, parricidia & ſi qua ſunt de genere eodem,

quibus ſi tota concideret rerum natura, non profectò mirum videretur.

Hi motus animorum in homine primò ex cognitione obiectorum bonorum vel malorum, ſiue reuera talia ſint, ſiue opinione tantum, naſcuntur. Ita enim ordine naturæ pulcherrimo ſancitum eſt, vt tametſi non plena obiectorum cognitio: aliqua tamen de illis, animi motus antecedat cogitatio, iuxta veterē ſententiam: ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίγνεται τὸ ἐρᾷν, *Item: oculi ſunt in amore duces &c. Quem enim vnquam earum rerum deſiderio æſtuare creditis, quas vel nunquam vidit, vel de quibus nihil vnquam ſiue per famam audiuit, ſiue in mente cogitauit. Omnibus igitur animi motibus aliqua antecedat obiectorum cognitio neceſſe eſt, qua primum motum cerebrum cogitationibus ſuis, eo, quem ſupra poſuimus, ordine feriat Cor: quod ſic ictum ac pulſatum ope fibrarum, quibus tota eius eſt intertexta caro, vel ſui dilatatione expandit ſinus ſuos, ſanguine cum copioſa effuſione ſpirituum, quibus ceu gratum amplectitur obiectum, à centro recedente ad exteriora: atq; ita exiſtunt affe-*

ctus

ctus illi, qui suauiter afficiunt & demulcent animos hominum: aut etiam compreßione sui, sanguine introrsum, vt opem ferat laboranti cordi, tanquam ad arcem & centrum fugiente coarctat atq; constringit sese, occlusis intra angustias suas spiritibus: atq; hinc oriuntur affectus illi tristes & turbulenti humanæ naturæ perniciosißimi, siquidem si altius cordi inhæserint, atq; in eo radices egerint, totũm hominem, oppresso scilicet corde affluentia sanguinis, breui temporis spacio conficiunt. Diuersa autem ratione læticiam et tristitiam si fuerint inopinatæ & nimiæ, vitæ nostræ exitium adferre certum est. Cum enim monstratum obiectum à potentia superiore in cerebro excellenter bonum æstimatum est, atq; id cordi ita innotescit: cor vehementiore sui dilatatione omnes spiritus suos ad amplectendum monstratum obiectum tanquam summum bonum effundit, quod cum ita destitutum est spiritibus, qui totam vitam fouent atq; sustentant, hominem etiam statim concidere atq; interire necesse est. Quanquam verò hanc obiectorum cognitionem primam atq; præcipuam causam

esse affectuum ratio ipsa demonstret: tamen magnam etiam vim habere in mouendis affectibus cœli, astrorumq; positus, plurima testantur in vita exempla. Quis enim hominum tantæ est cõfidentiæ, vt insignes syderum coniunctiones & oppositiones plurimùm conferre in afficiendis cùm corporibus, tùm animis eorum, in quorum genesi reperiuntur, negare audeat? Credo equidem vnumquemq; in principibus corporis sui partibus insignes quotidie sentire mutationes, ac pro diuersa aëris constitutione diuersos in animo cieri motus, quorum causam aliam esse nullã, quam influentias cœlestes & diuersos cœli astrorumq; positus, verisimile est. Verùm cum hæc ad Astrologorum scholas magis, quam ad has Ethicas disputationes pertineant, omißis illis, ne falcem in aliorum messem inijcere videamur, ad alias horum motuum causas progrediemur.

Tertiam igitur affectuum causam eruditi constituunt temperamentum corporis cuiuscunq; hominis siue κρᾶσιν. Videmus enim homines plerunq; corripi affectibus illis, qui temperamento & complexioni

vnius-

vniuscuiusq́ maximè conueniunt. Ac certißimum est, affectus, qui ex cognitione monstrati alicuius obiecti in corde iam extiterunt, pro cuiusuis corporis constitutione & crasi crescere atq́ augeri, fomento videlicet ex humoribus motu cordis concitato. Humor enim Melancholicus, cuius natura magis est terrestris: frigida nimirum & sicca, motu cordis agitatus, tristes in homine ciet affectus: ac quoniam materia eius lenta admodum est & viscosa, difficilius ex animis hominum conceptas de rebus tolli patitur opiniones, ideoq́ etiam huiusmodi naturæ, in quibus principatum obtinet Melancholia, diutius illos affectus, quos semel conceperunt, retinent. Quibus verò sanguis purus est cum humore & calore temperatè mixtus, ij ad omnis generis læticias & voluptates magno impetu feruntur, nullisq́ tristibus ac turbulentis affectibus expositi sunt: vel si aliquando rapida illa atq́ inconsulta, quæ etiam in bonum quemuis cadere potest, afficiantur animi inclinatione, iam tunc statim, priusquam radices agat & pectoribus insidat, eam exuunt atq́ deponunt. Illi autem,

quibus

quibus calidus & siccus corporis status à natura tributus est, illi, inquam, propter sanguinem calidiorem, nec adeò clarum, vt in sanguineis, & spiritus spißiores ardentioresq́; facilius commoti iram concipiunt. Sic quib. copiosa in corpore abūdat pituita, sanguis propterea tenuis & aquosus, plerunq́; segnes reperiuntur, & pigritiæ ac socordiæ sese totos dedunt, ac propter desidiam in ocio viuunt: tamen in turpi inertia capiunt voluptatem, vt Ciceronis verbis vtar, quibus Rullum perstringit in oratione pro Lege Agraria.

Quartò additur etiam ad efficientes affectuum causas consuetudo bona vel praua, cuius etiam Nemesius meminit in libro suo, quem inscripsit περὶ φύσεως ἀνθρώπου *cap. 17. vbi tres causas, vnde malæ affectiones animæ innascuntur, recenset: Prauam videlicet institutionem, inscitiam & prauum corporis habitum. Cuius verba cū sint scitu dignißima, hîc ascribere libuit:* Ἐγγίνονται δὲ τὰ φαῦλα πάθη τῇ ψυχῇ διὰ τῶν τριῶν τούτων: διὰ κακῆς ἀγωγῆς, ἐξ ἀμαθίας, ὑπὸ κακεξίας. Μὴ ἀχθέντες γὰρ καλῶς ἐκ παίδων ὡς δύνασθαι κρατεῖν τῶν παθῶν, εἰς

τὴν

τὴν ἀμετρίαν αὐτῶν ἐμπίπτομεν: ἐκ δὲ τῆς ἀμαθίας, φαῦλαι κρίσεις τῷ λογιστικῷ τῆς ψυχῆς ἐμφύονται, ὡς οἴεσθαι τὰ φαῦλα χρηστὰ εἶναι, καὶ τὰ χρηστὰ φαῦλα· γίνεταί δὲ τινα καὶ ἐκ τῆς τοῦ σώματος κακεξίας, ὀργίλοι γὰρ εἰσὶν οἱ πικρόχολοι, καὶ καταφορεῖς οἱ θερμοὶ καὶ ὑγροὶ τὴν κράσιν. *Pergit etiam idem Nemesius, & remedia, quibus hisce malorum affectuum vitijs præuenire possimus nobis præscribit. Dicit enim* τὸ κακὸν ἔθος ἔθει καλῷ *id est prauam consuetudinem bona tollendam esse, quod, si à consortio prauo ad vicia cōsentientis multitudinis abstineamus, fieri facilè potest:* τὴν δὲ ἀμαθίαν μαθήσει καὶ ἐπιστήμῃ *ex animis nostris tollendam esse: Ad* κακεξίαν *verò corporea esse adhibenda remedia, vt eam, quoad fieri potest, ad mediam temperationem* ἁρμοζούσῃ διαίτῃ καὶ γυμνασίοις καὶ φαρμάκοις, *si his etiam opus fuerit, transferamus.*

Huic igitur consilio tanti viri non modò Philosophi, sed & Episcopi clarissimi obtemperantes bonis nos adiungamus, ne praua corrupti consuetudine, in turpissima vicia, quæ ex impotentia regendorum affectuum existere solent, prolabamur: vel si inscitia nobis obstiterit, quo minus animi per-

mi per-

mi perturbationes cohibere posſimus, Philoſophiæ, quæ (vt ait Cicero) profectò animi medicina eſt, nos curandos tradamus, ac animos noſtros doctrina atq; ſcientia excolamus, ne illa quæ bona ſunt & honeſta, mala & inhoneſta nobis videantur: contra verò mala pro bonis amplectamur. Hæc enim peruerſitas iudicij in ratiocinantis animi parte ἐκ τῆς ἀμαθίας (vt inquit Nemeſius) exiſtere ſolet. Sin ex prauo corporis habitu quid vitij in nobis extiterit, corporea adhibeamus remedia ea, quæ nos docet Nemeſius, vt vicioſum quod eſt, ad mediam transferamus temperationem. Ac de his affectuum cauſis hactenus dixiſſe ſufficiat, nunc quoniam ordo id poſtulare videtur, breuem eorum partitionem inſtituemus.

Partes igitur perturbationum, vt Ciceronis verbis vtar, ex duobus opinatis bonis: & duobus opinatis malis (circa bonum enim appetibile, & malum obominabile, hos animi motus verſari ſupra dictum eſt) naſci volunt: atq; ita quatuor affectuum ſumma eſſe genera, ex quibus mutua commixtione inter ſe coeuntibus, reliquæ

quæ, quotquot ſunt eorum ſpecies, omnes oriuntur. Nam cum omnis perturbatio, vt Cicero 3. Tuſc. quæſtionum docet, ſit animi motus vel rationis expers, vel rationem aſpernans: vel rationi non obediens, isq́ motus aut boni aut mali opinione citetur, bifariam quatuor perturbationes æqualiter diſtributæ ſunt: duæ enim ſunt ex duobus bonis: Spes videlicet, quam alio nomine Cicero libidinem vocat: & læticia, vt hæc præſentibus, illa verò futuris nitatur bonis: ex duobus autem malis etiam duas naſci cenſent perturbationes: metum ex futuris: triſticiam, ſiue, vt Cicero vocat, ægritudinem ex præſentibus. Vt enim libido ad id quod videtur bonum illecta & inflammata rapitur, & læticia adepta iam aliquid concupitum effertur atq́ geſtit: ita etiam venientia, ſi mala videantur, metuimus: & propter præſentia ægritudine afficimur. Ita enim natura omnes ſumus animati, vt ea, quæcunq́ bona ſeſe nobis offerunt, futura adhuc proſequamur, præſentia verò amplectamur: ea verò quæ mala videntur, futura omni contentione remis, vt ita dicam, velisq́ fugiamus: præſenti-

præsentibus quæ mutari iam nequeunt, contristemur.

In singulis autem perturbationibus partes eiusdem generis plures subijci Cicero docet. Libidini enim subiecta sunt: Ira, excandescentia, quæ aliàs græcè θύμωσις dicitur, odium, inimicitia, discordia: Item desiderium, φιλογυνεία, auaritia, ambitio, peruicacia, liguritio et si qua sunt similia, quæ vno nomine tanquam generis vocabulo sub se complectitur ægrotatio, quam Cicero definiens dicit esse opinionem vehementem, de re non expetenda, tanquam valde expetenda sit, inhærentem & penitus insitam. Voluptatis partes esse dicit Cicero: Maleuolentiam, quæ voluptas est ex malo alterius sine emolumento suo, Delectationem & iactationem, quæ est voluptas gestiens, & se efferens insolentius. Metui autem species subiectas recenset pigritiam, terrorem, timorem, pauorem &c. Item inhospitalitatem, μισογυνείαν, μισανθρωπίαν & omnes alias species, quas sub se complectitur offensio, quam Cicero dicit esse vehementem opinionē de re non fugienda inhærentem et penitus insitam,

tanquam

tanquam fugienda. Aegritudini tandem subijciuntur: Inuidentia, æmulatio non illa imitatio virtutis, quæ laudis est, obtrectatio, misericordia, angor, luctus, lamentatio, quorum omnium definitiones Cic. 3. Tusc. quæst: recenset.

Hi autem affectus omnes, quæ singulis illis primis & simplicibus 4. subijciuntur, mixti dicuntur: Vt amor mixtus affectus videtur ex lætitia & spe. Amplectitur enim hoc motu cor etiam absens obiectum, tanquam præsens, cum spe fruendi illo bono, ideoq; quasi attrahere ad se obiectum dicitur, vt illo tanquam ingenti bono fruatur. Triplicem autem Plato in Phædone facit amorē: Honestum videlicet, mediocrem & inhonestum. Reuera antem honestus amor ille dicitur, qui nudam virtutē spectat, nec alicuius emolumenti gratia suscipitur: Et sicut hic ab omnibus meritò laudari debet: ita quis illum inhonestum amorem, qui tantum fœdas corporis voluptates sectatur, & beluis cum hominibus communis est, iniustè reprehendendum censeat? Quare cum nec mediocris amor, qui tum animum, tum

 corpus

corpus amplectitur, laudem semper mereatur, duobus his postremis in tempore est adhibenda medicina: vt dicitur:

Principijs obsta serò medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Amorem enim huiusmodi hæc cuncta vicia sectari solent, vt inquit ille apud Plautum:

Cura ægritudo, nimiaque elegantia,
Insomnia, ærumna, error, terror, & fuga,
Ineptiæ, stulticiaque adeò & temeritas,
Incogitantia, excors immodestia,
Petulantia, cupiditas & maleuolentia,
Inhæret etiam auiditas, desidia nimia,
Inopia, contumelia & dispendium,
Multiloquium, pauciloquium &c.

Initiò igitur antequā amor inueterauerit, & tanquam in venis medullisq; insederit, extingui debet laboribus, & auocandus homo est maturè ab eo, cuius amore incensus detinetur, vt idem apud Plautum μιμητικῶς de patre suo dicit:

Multo opere immundo rustico exercitum,
Neque nisi quinto anno quinque posse tum visere
Vrbē, atque extemplò inde, vt spectauisset peplū
Rus rursum confestim exigi solitum à patre.
In quam sententiam & Ouid. sic inquit
—— Finem qui quæris amori,

Cedit amor rebus, res age tutus eris.
Sic ira est mixtus affectus ex dolore, & spe. . Dolet enim principio homo propter illatam sibi ab altero iniuriam, quam tanquam malum quoddam auersatur, & depellere studet: Deinde motus spe vindictæ, quæ irato etiam bonum est, vt dicitur:
At vindicta bonum est, ac vita dulcius ipsa,
ingenti impetu autorem à quo læsus est prosequitur vt iniuriã sibi illatam vlciscatur: Ita cum duplex in ira sit obiectum: Malum videlicet & bonum, duos etiam motus esse necesse est? Auersionem seu fugã offensionis, & persecutionem illius, à quo offensio orta creditur, in quibus motibus corde velut ex castris suis erumpere conante, spiritus eius effunduntur in sanguinem tanquam milites, qui agitatione illa inflammati sanguinem etiam calefaciunt, & bilem rubram accendunt. Quam periculosæ verò sint eiusmodi concitationes, si fuerint nimiæ, facilè æstimari potest, cum agitato, et ab ardentibus spiritibus inflammato sanguine, cerebrum quoq; calefieri et concuti motu sanguinis, spirituũ & ner-

uorum à cerebro ad cor descendentium necesse sit. Vndt fieri aliter non potest, quin Phreneses, Apoplexiæ, & id generis mala sæpius exoriantur. Cuius rei illustre exemplum habemus in Aiace, qui propter occisi ab Alexandro Achillis arma sibi ab Vlysse erepta furore concitus, & suo ipsius innixus gladio occubuit. Recenset autem Nemesius in lib. περὶ φύσεως ἀνθρώπου iræ species 3. ὀργὴν, μῆνιν, καὶ κότον, ὀργὴν id est, excandescentiam definit, quod sit ira habens principium & finem, his verbis: θυμὸς μὲν γὰρ ἀρχὴν καὶ κίνησιν ἔχων, ὀργὴ καὶ χολὴ καὶ χόλος λέγεται. Nam hi in quorum corporũ constitutione cholera principatum obtinet leui aliqua commoti offensione facilimè fumos, iramq; concipiunt: μῆνιν verò dicit esse χολὴν εἰς παλαίωσιν ἀγομένην. Inde enim nomen sortita hæc iræ species videtur, quod semel concepta & quasi memoriæ tradita, diutius animo inhæreat. Est autem hoc genus iracundiæ signum generosæ & heroicæ naturæ, & proprium ijs, qui virtutis violatæ causa iram concipiunt. Qualis est ira Achillis

apud

apud Homerum Iliad. 9. vbi Aiacem his verbis alloquitur Achilles:

Ἀλλὰ μοι οἰδάνεται, κραδίη χόλῳ ὀππότ' ἐκείνου
μνήσομαι, ὅς μὲν ἀσύφηλον ἐν ἀργείοισιν ἔρε-
Ἀτρείδης, ὡσεὶ τιν ἀτίμητον, μετανάστην. (ξεν

Tertiam iræ ſpeciem Nemeſius dicit eſſe κότον, id eſt inimicitiam: Eſt autem κότος ὀργὴ ἐπιτηροῦσα καιρὸν εἰς τιμωρίαν, quod iracundiæ genus, vt tardè & difficulter concipitur: ita conſtantius eſt, & diuturnius. Odium deniq; tunc dicitur, quando ira inueterata penitus pectoribus inſedit, ita vt vel nunquam vel tardiſs. & difficilimè animis hominum eximi poſsit. Differt autem in hoc odium ab ira iuxta Ariſtotelis omnium Philoſophorum facilè principis ſententiam, quod ira ſit ſingularium obiectorum, odium verò ſæpiſs. etiam totius generis. Iraſcimur enim ijs duntaxat à quibus aliqua ſumus affecti iniuria, odio autem proſequimur ſæpius illos etiam, qui nulla vnquam nos laceſsiuerunt iniuria, imò ne verbo quidem nos offenderunt, ſed quos vel ſuſpicio vel abdita naturæ diſsimilitudo nobis reddidit inuiſos, de quo ſic Martialis:

 Non

Non amo te Fabi, nec possum dicere quare,
Hoc tantum possum dicere, non amo te.

Cognatus affectus iræ est pudor mixtus ex tristicia & metu. Est enim motus, quo quisppiam alicuius admissæ turpitudinis conscius sibi ipsi irascitur, ac propterea dolens veretur simul, ne eam ob causam in aliorum incidat reprehensionem. Vt autem pudor cum optimæ indolis sit indicium pulcherrimus meritò censetur affectus, & humanæ naturæ à Deo opt. Max. ideò attributus, vt sit quasi frenum iniectum hominibus ne quicquam contra honestatem turpiter committãt: vel postea sit vindex, si quid errore commissum fuerit: ita impudentia verè est turpiß. & iudicium peruersæ atq; Diabolicæ naturæ, vt rectè dixisse Euripides videatur:

Ἀλλ' ἡ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων
πασῶν ἀναίδεια.

Quod si affectum illum, qui misericordia propriè appellatur, inspiciamus, videmus illum compositum ex tristicia, quæ propter alterius calamitatis conspectum suscipitur: et cupiditate atq; studio subueniendi mise-

ris ac

ris ac calamitosis hominibus, præsertim si absq; omni sua culpa in miserias incidisse videantur. Est igitur misericordia ægritudo ex miseria alterius iniuria laborantis: nemo enim, vt Cicero loquitur, parricidæ aut proditoris cuiusdam supplicio misericordia commouetur. In hunc modum & reliquorum affectuum, qui mixti dicuntur, inquirantur definitiones: ego ne prolixa nimis euadat oratio, singulorum recitatione omissa, ad reliquas horum animi motuum partitiones progredior.

Ex iam prædictis autem alia affectuum extruitur diuisio: quod videlicet alius sit primus motus, alius secundarius: Ac primum quidem vocant rapidam & inconsultam illam animi inclinationem cui bonus quilibet etiam obnoxius esse potest. Nam visiones animi, quas φαντασίας appellant Philosophi, quibus mens hominum, prima statim specie accidentis ad animum rei pellitur, vt loquitur Gellius lib. 19 cap. 1. non voluntatis, neq; arbitrij, sed vi quadā sua inferunt se hominibus? Quare nec statim crimini datur alicui, si primo

hoc & rapido motu commoueatur. Quis enim ſeniores illos Troianorum princpes apud Homerum idcirco reprehendendos cenſeat, quod ſpecie & pulchritudine Helenæ commoueantur, cum rapido iſti motui voluntatis aſſenſum non adiungant?

Alius autem eſt motus ſecundarius, quando τὰς τοιαύτας φαντασίας viſa iſthæc animi terrifica ſua aſſenſione quis approbat, hoc eſt, συγκατατίθεται ἢ προσεπιδοξάζει, vt prolixè diſputat Gellius, loco ſupra notato ex ſententia Epicteti Philoſophi: Huic diuiſioni videtur conuenire & illa, quæ quoſdam affectus facit ſubitos & momentaneos, qualis eſt ira, iuxta dictum: Ira furor breuis eſt: quales etiam affectus omnes in pueris eſſe docet experientia, qui vt leui ac temeraria aliqua occaſione affectus ſuſcipiunt: ita facilè & temerè eoſdem deponunt: alios verò durabiles, qui ſi radices egerint, & oßibus (vt ita dicam) & medullis inſederint, aut nunquam aut certè difficulter animis hominum excuti poſſunt. Sed de his hactenus. At cum Deum & naturam nihil

ſine

ſine certo aliquo fine agere ſit certiſs: qua poſſum breuitate, quid primum conditorem mouerit, vt humanæ naturæ hos adderet motus, exponam.

Ad duplicem autem finem videtur reſpexiſſe ſummus rerum architectus, quando primum humanæ naturæ indidit affectus: Ad quid enim in homine conducerent noticiæ de diſcrimine honeſtorum & turpium, niſi additi eſſent hi motus animorum, tanquam earum noticiarum executores, quibus ea quæ ab æſtimatiua bona & honeſta iudicantur, proſequeremur & amplecteremur, ea verò quæ mala rectæ rationi videntur, fugeremus & auerſaremur. Maximè autem patet illorum vſus in conſcientijs, quòd à Deo idcircò animis hominum inditi videantur, vt ſint vindices ſcelerum, & ſint cruciatus in illis, qui alicuius perpetrati facinoris ſibi conſcij ſunt: qui cruciatus ſunt furiæ miſerè exagitantes ſceleratos, & pœnas ſumentes etiam de ijs, qui manibus magiſtratus elabuntur. Quæ res occaſionem videtur præbuiſſe Poëtis, vt certum ali-

quem furiarum numerum excogitarent, quæ essent vindices facinorum & sceleris. De quibus Cicero pro Roscio Amerino non minus verè, quam eleganter sic inquit: Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis sæpenumerò videtis, eos, qui aliquid impiè sceleratèq; commiserint, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus: sua quenq; fraus et suus terror maximè vexat: suum quenq; scelus agitat, amentiaq; afficit: suæ malæ cogitationes conscientiaq; animi terrent. Hæ sunt impijs assiduæ, domesticæq; furiæ, quæ dies, noctesq; parentum pœnas à sceleratissimis filijs repetant. Hic igitur præcipuus finis est affectuum, vt si contra conscientiam, quod cum honestate pugnat, sceleratè quid commiserimus, dolor: sin boni quid operati fuerimus, læticia in animis nostris oboriatur. Hi extremi duo affectus ad omnes reliquos: hic quidem ad bonos: ille verò ad malos consequitur animorum motus. Quantò igitur læticia, quæ ex bonis in animo relinquitur affectibus, dolore, qui est omniũ, quæ contra rationem suscipiuntur, perturbatio-

bationum vindex gratior atque iucundior est, siquidem illa totam hominis vitam sustentat & conseruat: hic verò eandem corrumpit atque destruit: tantò etiam maiori cum diligentia & animorum contentione in eo nobis elaborandum esse censeamus, vt hos animi motus, si aliquando in nobis extiterint, moderēmur, & intra metas illis à ratione præscriptas cohibeamus. Omnes.n.animi motus licet rei bonæ causa suscepti, si mediocritatem, in qua omnes virtutes consistere necesse est, excesserint, viciosi æstimantur. Quamuis enim amorem, gaudium, iram & dolorem etiam per se bonos & humanæ naturæ conuenientes affectus esse negare nemo audeat: quis tamen iure laudandum censeat eum, qui vel rei licet non inhonestæ, neque illicitæ, nimio tamen amore æstuat: vel subita & vehemente nimis afficitur leticia, quæ gestiens à Cicerone nominatur: vel etiam ab Iracundia se superari patitur: vel deniq; dolori in rebus aduersis succumbit?

Vt

Vt igitur in Imperijs duplici vtitur magistratus domino: vno cum propria, qua fruitur, autoritate subditis suis imperat, vel vt sponte obediant, vel si contumacia aliqua resistentes, nulla sui officij habita ratione pro arbitrio tumultuentur, vi eos intra metas suæ vocationis coërcere potest: atq; hoc dominium δεσποτικὸν Aristoteli nominatur: altero, cum ciuium animos, (qui etsi libenter obediunt, id tamen non coactè, vt priores, sed liberè) persuadendo eò adducit, vt, in id, quod imperat, consentiant: ita in mente & voluntate humana duplex est gubernatio: vna qua illæ regunt locomotiuam, vt vel externa membra ad id, quod bonum iudicant, efficiendum incitat: vel etiam ne temerè absq; suo consensu irruant, ea reprimat: altera verò, quæ πολιτικὴ nominatur, qua mens & voluntas non ita externa membra coercent, sed qua cor persuasione motum cum recto in mente iudicio & honesta voluntate congruit. Hoc igitur τῷ πολιτικῷ dominio maximè regi ac gubernari affectus manifestum est: Ita enim

appeti-

appetitum ſubiectum eſſe voluntati videmus, vt non modo ad eius ſemper ſequatur iudicium, ſed etiam absq; eius aſſenſione, quò fuerit pertractus mouere hominem poßit. Quoties ergo mens & voluntas imperare cordis appetitionibus vel eaſdem cohibere volunt, perſuaſione, boni, maliue, quod inde exiſtere poßit, habita ratione, id fieri neceſſe eſt.

Ex ijs nunc quæ hactenus dicta ſunt, facilè quis æſtimare poteſt, quanti fuerint errores Stoicorum, qui affectus tantum eſſe de rebus opiniones, & propterea quòd (vt aiunt) vitioſi ſint, è natura tollendos eſſe affirmare non ſunt veriti. Ad hos igitur refutandos cum veræ huic de affectibus doctrinæ vehementer repugnent, nunc in fine meæ orationis me accingo, quod tamen quam potero breuißime, (video enim prolixam admodum fore huius rei tractationem, ſi omnia ea, qua meritò deberent pro dignitate exponerentur) me præſtiturum polliceor.

Miror ſanè Stoicæ diſciplinæ ſectatores homines multiplici alias doctrinarum

genere

genere excultiss: tantæ fuisse impudentiæ, vt affectus non esse motus naturales, sed tantum conceptas de rebus opiniones falsò affirmare eos nō puduerit, cùm opinionem ab affectibus toto genere differre certissimum sit. Opinio enim noticia est, cuius subiectum esse cerebrum neminem ignorare arbitror. Quæ igitur illa est dementia, quæue contradicendi libido, ea, quæ subiectis differunt, ita inter se coniungere, vt nihil prorsus differre debeant: nec absurdam hanc, & veritati contrariam opinionem tantum affirmare, sed multis etiam argumentis & probationibus confirmare conari? Non enim affectus sicut opinio, vt contendunt Stoici, oriuntur ex incertis, quia etiamsi res, quæ nunciatur, est incerta: tamen conceptam de re nunciata noticiam certam esse nemo dubitet: nec affectus fieri vnquam nisi ex certa aliqua noticia verissimum est, quæ sit vel persuasa vel vera, etiamsi res, quæ nunciatur, aliter, quam nunciata est, sese habeat. Solonem profectò nunciata per ministrum filij mors licet falsa, non minori affecit dolore,

quam

quam ſi vera fuiſſet. Vidit enim triſte obiectum, quod tanquam verum arripiens aliter, quam filium ſuum reuera mortuum eſſe, ſibi perſuadere non potuit.

Ac ne quis opinetur affectus idcircò dici meritò poſſe opiniones, quod Cicero in exilium pulſus, plus doleat quam Ariſtides & Camillus, qui etiamſi pari affecti ſunt pœna: non tamen parem ſentiunt ægritudinem, ſciat rationem in hiſce eſſe diſsimilem. Ciceroni enim propterea exilium accidit acerbius, cùm quòd talem ſibi reddi gratiam intelligat, pro omnibus non tantum laboribus, ſed etiam, capitis ſui periculis, quæ pro ſalute & incolumitate Reipub. in conſpiratione Catilinaria reprimenda ſuſtinuit: tùm quòd ſplendore & honoribus, in quibus ante vixit, ſibi nunc ex vrbe eiecto carendum eſſe videat, vt ipſe teſtatur in Oratione ad Quirites, anteq̃ in exilium iret, habita. Sed Ariſtides & Camillus exilium non tanquam rem malam accipiunt, ſed iudicant ſibi maximum bonum, quod ab illis moleſtijs & laboribus, quos in gubernatione ſuſtinuerunt;

runt, tanquam à rabioſo cane aliquantiſper remoti ſint et liberati. Sic in his etiamſi obiectum ſeu pœna eſt eadem, æſtimatio tamen obiecti ratione boni aut mali eſt diſsimilis.

Alter error Stoicorum non minor, quam hic, de quo iam diximus, eſt, quod omnes affectus ſuo genere vitioſos eſſe contendunt, quam verò abſurda & à veritate aliena hæc ſit illorum opinio, facilè cuiuis æſtimare licet. Etſi enim poſt triſtem primorum parentum lapſum, qua totus rerum immutatus eſt ordo, multi vitioſi in homine extiterunt affectus manifeſtè cum lege Dei pugnantes, vt ſunt iraſci Deo, odio proſequi parentes, natos, coniugem, item illicito & in honeſto amoris incendio flagrare erga alterius coniugem &c: tamen multos eſſe in natura humana affectus non vicioſos manifeſtum eſt. Præcipit enim Deus in lege ſua, vt Deum toto pectore diligamus, iuſto amore coniugem, natos, parentes & magiſtratus noſtros, ſub quorum tutela & patrocinio viuimus, amplectamur. Velle eum etiam nos rebus ho-

bus honestis lætari, contrà verò cũ propter nostra, tùm aliorum etiam delicta dolere atq; contristari, & tristes nostrorum casus deplorare, plurima sacræ scripturæ dicta testantur. Quo consilio in prima rerum creatione Deum ita hominem condidisse verisimile est, vt certas haberet appetiones, quibus affectus illos, quos in verbo suo præcepturus esset, perficeret. Addidit idcircò in corpre etiam instrumenta & organa mouendis affectibus apta & destinata, quæ nisi frustra condita velint Stoici, non vniuersos viciosos esse affectus concedant oportet. Si quis verò studio contradicendi adductus, nec hisce acquiescere velit probationibus: cõsideret, quæso, placidos illos motus, quibus Deus filium suum vnicum amplectitur: quibus etiam totum humanum genus, quod ad imaginem suam creauit, prosequitur. In cuius testimonium & cordibus quoq; parentum naturales inseuit ϛοϱγὰς, quibus sobolem suam amplecteretur, vt nos de paterno suo amore, quo erga filium suum & humanum genus flagret, commonefacerent. Nisi igitur

Deum etiam velit vitijs esse contaminatum, nemo sanæ mentis homo omnes in natura affectus vitiosos esse affirmare potest.

His nunc ita consideratis, facilis illorum est refutatio, qui affectus ex natura tollendos esse existimant. Si enim quod iam demonstrauimus, vitiosi non sunt, sed boni & in natura humana certo consilio Dei ordinati, cur quæso res bona è natura esset tollenda? Digni profectò iudicandi essent illi, qui hos animorum motus è natura tollere conantur, vt, cùm certa sint in corpore humano affectibus destinata instrumenta, illa ipsa organa, ne frustra condita viderentur: ex illorum corporibus euellerentur, siquidem hominis naturam penitus immutare student.

Miror profectò hominum istorum stoliditatem, quod cùm sapientes admodum videri velint, eo ipso, quod affectus ex homine tollunt, virtutes etiam sese tollere non intelligant. Nam si virtus est, vt inquit Lactantius lib. 6. cap. 15. diuinarum instit: in medio iræ impetu se ipsum cohibere

bere ac reprimere, quod negare non possunt, caret ergò virtute, quisquis ira caret. Cum ergò naturam quibusdam animorum motibus carere nullo modo posse viderent, (natura enim omnes ea, quæ bona videntur sequuntur, fugiuntq́ contraria) affectuum tamen odiosum nomen in natura esse concedere nollent: nominibus tantum mutatis, alia quædam in eorum locum, vicemq́ supposuerunt. Quando enim obiecta species alicuius est, quod bonum videtur, & ad id adipiscendum ipsa nos impellit natura, id cum constanter, prudenterq́ fit (vt loquitur Cicero) eiusmodi appetitionem βούλησιν id est voluntatem vocant, Sic quam nos læticiam, illi gaudium, cum videlicet rem aliquam iam adeptus, quæ bona videtur, cum ratione animus mouetur placidè & constanter: Quemadmodum autem futura, quæ bona sunt natura, ductu atq́ impetu appetimus omnes: ita à malis natura declinamus, quam declinationem, si cum ratione fiat, vt nos, metum: ita illi cautionem appellant. Atq́ hæc tria tribus illis opponunt affectibus, spei vi-

delicet, læticiæ & metui, solo tantum dolore repudiato, propterea, quòd ægritudinem in sapientem cadere debere negent. Verbum autem quo hunc nominarent affectum, non rem illis defuisse, multis argumentis probat Lactantius loco supra citato. Quis enim possit non dolere (inquit) si patriam aut pestilentia exhauserit, aut hostis euerterit, aut Tyrannus oppresserit? Potest aliquis non dolere, si sublatam viderit libertatem, si proximos, si amicos, si bonos viros, aut exterminatos, aut crudelissimè trucidatos? nisi cuius mens ita obstupuerit, vt sit ei sensus omnis ereptus.

Hæc cum ita sint, quis Stoicorum perniciosiss. deliria, qui cōmentitiam illam ac falsam omnino ἀπάθειαν natura prorsus destructa nobis obtrudere conantur, toto pectore execrari dubitet? Nos igitur quibus Dei gratiam stat melior sententia menti, tetris illis furoribus reiectis, affectus nullo modo opiniones, sed esse motus in corde & voluntate in natura humana certo consilio Dei ordinatos statuamus, vt in animis

animis hominum vindices essent sceleris & turpitudinis contra rectum in mente iudicium admissæ, & tanquam testes rectè factorum cùm lege Dei congruentium: ac vt de paterno illo, quo Deus filium suum vnigenitum, & totum humanam genus amore amplectitur, nos commonefacerent. Ita enim cordis naturam esse quotidiana docemur experientia, vt si obiecta fuerit species alicuius, quod bonum videatur, ad id adipiscendum & adeptum iam amplectendum dilatet atque expandat sinus suos, sin alicuius oblata fuerit species, quod malum videatur, ad id fugiendum & auersandū se comprimat atque constringat. Ex duplici igitur hoc obiecto, si futura & præsentia seorsum consideremus, quatuor existere affectuum genera, tanquam prima & simplicia, ex quibus reliqui motus in homine quotquot sunt oriantur, non obscurè constat. Cum autem omnes affectus, etiamsi sua natura boni, si modum excesserint, viciosi existant, quonam præcipuè imperio regantur, ac intra metas sibi à ratione præscriptas cohibeantur, diligenter conside-

 randum

randum eſt. Non enim appetitus ita voluntatis dominio ſubiectus credatur, vt ad ipſius ſemper ſequatur imperium, ſed liberè quoquo ſuo quodam impetu mouetur, nec alio modo vllo perſuaderi ferè poteſt, quam boni, maliue commotus opinione. Etſi autem vt plurimùm mens & voluntas in cohibendis animi motibus πολιτικῷ vtatur dominio, & perſuaſione potius quã vi eos intra metas ſuas coërceat: tamen quemadmodum Sphæra ſuperior raptu ſuo vehementi ſecum in gyrum circumactas mouet inferiores, illæ verò etſi motu ſuo proprio, quantum poſſunt, contranituntur, maximè tamen ſuperioris Sphæræ motũ vi coactæ ſequuntur: ita etiam quamuis appetitus proprio ſuo motu poteſtatem aliquam mouendi habeat: nihilominus tamen eam aliquando voluntas, dum κινητικὸν καθ' ὁρμὴν reprimit, coërcere ſuo imperio poteſt.

Quare cum in hac naturæ deprauatione adhuc aliquod mentis & voluntatis in inferiores appetitus extet imperium, nequaquam omnes affectus ſuo genere vicioſos &

ſos &

ſos, & idcircò è natura tollendos concedendum eſt, ſed potius deteſtanda & toto pectore execranda impudentia illorum, qui hos motus naturæ humanæ conuenientiſſ. è natura fraudulenter extirpare conati ſunt.

FINIS.

Μόνῳ τῷ θεῷ δόξα.

